

Circulus hispanus-lusitanus "B"De sacerdotio ministeriali - quaestiones practicae

1. Circulus statuit eundem Moderatorem et Relatorem tenere.
2. Secunda pars Relationis Conclusivae de parte practica studio subiecta est.
3. Circulus relationem inter evangelizationem et sacramenta, corresponsabilitatem pastoralem, praesertim habitudinem episcopos inter et presbyteros, presbyteros et laicos, puncta quaedam de pastorali presbyterorum operositate examinavit, votationem denique instituendo quoad tres sententias propositas de coelibatu ecclesiastico.

Praenotandum

Sacerdotes omnes, et episcopi et presbyteri, mutatio-
nis atque renovationis realitatem, qua Ecclesia hodie afficitur, vi-
vunt. Presbyteri ista realitate sub peculiari aspectu eorum labo-
rum ministerialium atque adiunctorum vitae eorum concretae affici-
untur. Circulus hispanus-lusitanus "B" vehementer exoptat ut Syno-
dus aspectus speciales inquietudinum presbyterorum p[re] oculis ha-
beat ita ut possit valida responsa dare* quae a presbyteris hodie
serio modo ponuntur. Quod in ipso documenti stile innotescere de-
bet.

*quaestionibus

1. Evangelizatio-sacramenta

Problematica 'evangelizatio-sacramenta' nostris in nationibus pluribus sub aspectibus apparet. Duo tantum indicabimus:

- a) Una ex parte 'christianitas' a maioribus accepta in qua sacramenta recipiuntur vi consuetudinum socialium, quin magna detur attentio praeparationi personali fidei et personali devotio-
ni ("compromisso") erga christianam communitatem;
- b) Altera ex parte multi presbyteri maiorem sui temporis partem numero sat parvo fidelium in sacramentorum administratione tri-
buunt, dum magna populi pars aliena permanet ab influxu pastorali.
Quae problematica copiosam produxit litteraturam una cum nova terminologia, quae si a quibusdam adhibetur sine intellectione problematis rdalis aut sine serio conamine pro eius solutione, a pluribus tamen

Esto no tienen pobl. al "índividuo".

presbyteris problematica examinatur cum vera praeoccupatione pastorali et cum desiderio inveniendi bonam orientationem.

Propositiones

- a. Evangelizatio recte intellecta dicit ad sacramenta et ad vitam christianam concrete in effectum deductam in visibili Ecclesiae communitate. Sacramenta ulterius fidem efformant eam gratia nutriendo. Qui processus continuus est, nam conversio ad Dominum numquam ut completa in hac vita haberi potest. Licet quis posset plus accentuare evangelizationem quis plus sacramenta, tamen radicalis separatio inter duo nulla omnino admitti potest.
- b. Sacramentorum effectus "ex opere operato" dominium Christi unicui Sacerdotis et Mediatoris gratiae in Corpore quod est Ecclesia demonstrat. Supponit, uti notum est, libera et conscientia nostra participatio. Exinde magnum momentum et praeparationis atque dispositio-
nis fidei pro eo qui sacramenta recipit et testimonii fidei ministri in tota eius vita, praesertim vero in eius modo considerandi et celebrandi sacramenta.
- c. Motus liturgicus progressivam rituum adaptationem ad mentem coetuum vel locorum valde inter se diversorum postulat. Cum vero liturgia cultus sit totius Ecclesiae, hae adaptationes fieri nequeunt per individualia incoepita, sed semper cum consensu et sub moderamine Sanctae Sedis, audita Conferentia Episcopali respectivae nationis.
- d. Presbyteri anxii circa profundam renovationem evangelizationis et vitae sacramentalis nostris temporibus sentire volunt ex parte totius Ecclesiae, modo quidem speciali ex parte episcoporum, va-
lidum conamen ad dirigendam totam Ecclesiae actionem eiusque struc-
turas non solummodo ad conservandum quod habetur, sed etiam ad gene-
rose evangelizandos omnes coetus forma renovata et adaptata.
- e. Ecclesia tota sacerdotalis est et missionaria. Oportet ut presbyter plene persuasus sit de hac veritate. Quamobrem ministerium suum concipere nequit ut merum servitium religiosum proficiens qui pas-
sive illud accipiunt, sed conari debet ut efformet communiteatem christianorum propriae fidei deditorum, prompti ad evangelizandum et zelo apostolico imbuti qui praesentiam missionarium Ecclesiae omnibus in locis multiplicent.

In hoc modo videndi res, paroecia territorialis pergit esse structuram fundamentalem et validam pro evangelizatione et sacramentis. Oportet vero tali modo sese actualem reddat ut centrum missionarium fiat, in contactu collaborationis activae cum paroeciis propinquis et motibus specializatis, intra suos limites continens et uniens omnes parvas communitates fundamentales ("comunidades de base").

2. Corresponsabilitas pastoralis

Corresponsabilitas pastoralis intra Ecclesiam non vi structurarum normarumque iuridicarum obtineri potest, sed potius vi realium habitudinum amicitiae et fiduciae mutuae, fundatae in supernaturali persuasione communis missionis Ecclesiae.

a. Episcopos inter et presbyteros

1. Ut possint haberi habitudines magis personales cum presbyteris, episcopo aliae occupationes derelinquendae sunt vel aliis delegandae. In macro-dioecesis solutio quae hoc sensu iuvari possit quaerenda est.
2. Fundamentale cum sit ut episcopus ipse efficaciter laborem pastoralem dioeceseos dirigat, opus est ut episcopus omnia conamina faciat ad continuo sese certiorem reddendum de actuali statu theologiae et pastoralis.
3. Consilium Presbyterale, ut corresponsabilitatis organum, revera efficax erit si presbyteri membra in eo proprias partes assumant et episcopus eis possibilem reddat participationem in responsibilitate pastorali.
4. Petitur a Sancta Sede ut studio subiciatur forma qua communitas christiana possit melius consuli quando de nominatione vel translatione episcoporum agitur (septem vota pro; sex contra; tria sese abstinuerunt).
5. Cum ponantur problemata pastoralia in ambitu regionali et nationali, deceret ut presbyteri, in labore pastorali corresponsabiles, possent in istis ambitibus contactus habere, semper uti solliciti cooperatores episcoporum iuxta formam magis adaequatam pro unaquaque natione.

b. Presbyteros inter et laicos

1. Ex eo quod Ecclesia tota sit sacerdotalis et missionaria, oportet ut laicus plenam conscientiam habeat de propria vocatione apostolica utque sacerdotes, et episcopi et presbyteri, eam prae oculis habeant et promoveant.
2. Laici qui intra Ecclesiam religiosas functiones exercent, in earum exercitio ab episcopis et presbyteris pendent, apti ut delegationem ex officio accipient ad hunc effectum.
3. Quod optiones temporales particulares laicorum respicit, presbyteri obligantur laicos monere ut eas iuxta christianam conscientiam adimpleant, quin vero quocumque modo in eorum decisionis libertate influant.

3. De ministerio pastorali et operositate saeculari

- a) Convenientia saecularium laborum presbyterorum quaerenda est iuxta adiuncta uniuscuiusque casus prae oculis quoque habita utilitate totius christiana communis.
- b) Relate ad actionem politicam presbyteri, approbatae sunt tres propositiones in Relatione Conclusiva pg. 23 datae, cum sequentibus vero mutationibus:
 - Sacerdos, qua cives et qua minister Ecclesiae, tenetur, in quantum potest, positionem definitam assumere, cum agitur de fundamentalibus iuribus humanis defendendis semper mediis Evangelio convenientibus; de personis integre promovendis; de causa pacis et iustitiae. Haec omnia intelligi debent non tantum in ambitu individuali, sed etiam collectivo.
 - In illis adiunctis in quibus diversae optiones politicae, sociales aut oeconomiae locum habent, sacerdos qua cives ius habet proprias optiones assumendi. Sed tamen exercitium huiusmodi iuris moderari debet prudenti analysi pastoralium circumstantiarum tali modo ut ad munus suum signi unitatis in christiana communitate servandum dispositus sit renuntiandi exer-

citio iuri civili si eius exercitium communitatis unitatem in periculo poneret. Insuper curandum est ne eius optio christianis appareat ut unica legitima vel motivum sit scissionum inter christifideles ex eo quod character eius sacerdotalis pressionem in laicos quoad civilem decisionem produceret. Memor sit presbyter maturitatis laicorum, quiē sat sensibiles sunt quando de campo eorum specifico agitur.

- Assumptio muneris directivi vel "militantis" activa pro aliqua factione politica excludi debet a quolibet sacerdote, nisi iuxta adiuncta de consensu Consilii Presbyteralis vel Consilii Pastoralis vel Episcopi bonum communitatis in concretis et exceptionalibus circumstantiis id postulet.

4. De coelibatu ecclesiastico

Membra nostri Circuli, postquam attente considerarunt haberi multos sacerdotes in pluribus dioecesibus qui coelibatum optionale, saltem pro futuris candidatis ad presbyteratum, desiderarent, unanimi consensu censuerunt coelibatum pro presbyteris actualibus ritus latini et pro quolibet coelibe qui presbyter ordinetur retinendum esse. Quod vero presbyteralem virorum matrimonio iunctorum ordinacionem respicit, relate ad tres propositiones de quibus in pg. 26 Relationis Conclusivae Partis Practicae, facta est votatio, cuius sequens fuit resultatus:

pro prima propositione sex vota;
pro secunda propositione septem vota;
pro terta propositione nullum votum;
quattuor membra sese abstinerunt a voto ferendo.

✓ Marcus Mc Grath - Relator

Romae, die 18 oct. 1971